



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

*EPISTULA DATA
XAVERIO SRE CARDINALI LOZANO BARRAGÁN,
MISSO EXTRAORDINARIO AD SEPTIMUM
UNIVERSALEM PRO AEGROTANTIBUS
DIEM CELEBRANDUM*

Venerabili Fratri

XAVERIO LOZANO BARRAGÁN

Archiepiscopo-Episcopo emerito Zacatecensi

Praesidi Pontificii Consilii de Apostolatu

*pro Valetudinis Ministris Vix ullus Nostro in Pontificatu adhuc praeterit dies quin pastoralem Nostram luculenter demonstremus sollicitudinem afflictis de hominibus ac propensum simul peculiarem amorem in fratres et sorores per orbem aegrotantes. Idcirco etiam quattuordecim abhinc annos Litteris Motu Proprio datis *Dolentium hominum* Pontificium Consilium de Apostolatu pro Valetudinis Ministris instituimus cui numquam non mentis Nostrae singularem tribuimus cogitationem cuique temet ipsum, Venerabilis Frater, duos abhinc annos fidenter omnino praefici censuimus. Facile hinc intellegitur quam intento studio iam proximam contemplerem congressionem mundialem in “Septimo Universali pro Aegrotantibus Die” quam novimus in dilectissima Libani natione a die VIII ad XI proximi mensis Februarii esse eventuram. Laetissimi pariter argumenta simgula ibidem quae tractabuntur cognovimus et colloquia quae habebuntur inter diversarum fidei confessionum participes. Licet Ipsi ex longinquo Nos singulorum dierum negotia tamquam animo vero praesentes sectaturi simus, tamen iam nunc aliquem destinare placet his in rebus exercitatum pastorem qui Nostra nominatus auctoritate personam ibidem veluti publicam pro Nobis gerat. Te quidem iustissima causa talem animi Nostri interpretem et actuosum consiliorum procuratorem cum esse noverimus, hisce ideo Litteris Missum Nostrum Extraordinarium destinamus ad ritus ipsos aperiendi “Septimi Universalis pro Aegrotantibus Diei”, VIII mensis Februarii Harissae in Libano. Adstabis propterea illic pro Nobis omnesque pariter praesentes Nostra veluti voce consalutabis et in praeclaris illius Congressus deliberationibus hortatione Nostra confirmabis, quibus singulis, quo fructuosius prosperiusque eventus contingat, significabis impertitam eodem tempore Apostolicam Nostram Benedictionem, quam simul ad Te, Venerabilis Frater, pertinere volumus, simul ad totum illum coetum cui libentes coniungimur et a quo solida ac frugifera pro infirmis adiumenta in Christo Pastore divino exspectamus. Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Ianuarii,*

anno MCMXIX, Pontificatus Nostri vicesimo primo. IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1999 - Libreria Editrice
Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana